

nunc nos elevamur ad consortium divinæ naturæ, et disponimur ad operandum modo divino, et in eo ordine in quo ens increatum, scilicet Deus, excedit creaturam, sed nulla res inferioris ordinis potest esse radix seu radicale principium continens naturaliter id quod est participatio propria et consortium superioris ordinis in eo, in quo superior, sicut anima rationalis non potest esse radicale principium alicujus virtutis aut luminis, quo participetur modus intelligendi Angeli, ita quod ista virtus aut lumen sit ei connaturale, sed solum potest esse connaturale habenti naturam angelicam, non habenti naturam animæ rationalis, et sic implicat lumen angelicum seu participationem intelligendi modo angelico esse connaturale naturæ non angelicæ. Ergo similiter dispositio seu virtus intelligendi modo divino seu modo illo elevato, quo Deus intelligit supra omnem creaturam non potest tamquam in principio radicali contineri in aliqua creatura, quia creatura in infinitum distat a Deo, et est inferioris ordinis, ergo non potest esse radix seu principium radicale ejus, quod est propria participatio et consortium divinæ naturæ, ergo neque potest esse substantia supernaturalis, quia hæc non est aliud quam radicale principium secundum sibi connaturalia, ejus quod est ordinis divini, seu quod est dispositio faciens consortium divinæ naturæ.

XII. Dices: Non potest substantia creata esse radix intelligendi, modo divino, quo Deus intelligit scilicet modo infinito et comprehensivo; bene tamen modo finito quod Deus se non intelligit, et hoc facit lumen gloriæ, potest ergo alicui substantiæ creatæ esse connaturale. Respondetur quod illius modi infiniti non potest creata substantia non so-

lum esse connaturale principium, sed neque obedientiale, quia non est capax illius, cum sit creatura. Nos autem loquimur de illa participatione et consortio divinæ naturæ cujus creatura est capax obedientialiter et inquirimus an etiam possit esse connaturaliter. Et dicimus non posse creaturam etiam hujus finiti modi videndi Deum esse radicem et principium connaturale; quia hoc ipso quod est participatio ordinis divini, et faciens consortium divinæ naturæ in eo, in quo natura divina excedit creatam, repugnat habere radicem in aliquo creato, quia semper creatum est inferius ad id quod increatum est, et sic non potest esse radix et principium participationis ordinis increati, licet ipsa participatio accidens creatum sit, sicut natura Angeli inferioris non potest esse radix et principium, non solum intellectionis quæ est in superiori Angelo prout in illo est, sed neque illuminationis quæ a superiori Angelo descendit, et confortat, atque elevat ad modum suum inferiorem Angelum, licet illa illuminatio ut recipitur in inferiori Angelo non sit cum ea perfectione et plenitudine qua est in Angelo superiori. Generaliter enim omnis elevationis ad superiorem modum vel ordinem non potest esse radix et principium id quod est ordinis inferioris. Substantia autem creata supernaturalis idem est quod principium radicale creatum ejus, quod est illuminatio et participatio ordinis increati.

XIII. Secunda implicatio D. Thomæ ponitur in III contra gent. c. LIV, ubi duas rationes insinuat satis subtiles. Prima probat ex limitatione et compositione creaturæ non posse naturaliter esse beatam, sed debere beatificationem habere ex alio. Secunda, non posse lumen proprium et connaturale alicujus crea-

turæ specificari nisi ab objecto creato, non a Deo immediate. Quod ergo immediate respicit Deum in se ut specificativum debet esse lumen adjectum non innatum.

XIV. Prima ratio explicatur ex eo, quod nulla creatura est possibilis, quæ perfici non possit etiam in operando per elevationem aliquam et participationem alicujus perfectionis sibi non innata, nec connaturaliter convenientis, sed superantis naturam suam, nulla autem perfectio magis superans naturam cujuscumque creaturæ possibilis, quam illa quæ reddit creaturam deiformem et habentem consortium divinæ naturæ, quod facit gratia et lumen gloriæ, ergo hoc non potest esse innatum et infinitum alicui creaturæ seu intellectui creato, sed ei supernaturale. Major constat, quia omnis creatura hoc ipso quod est facta limitationem habet ad quidditatem suam et terminos generis et speciei qua constat, ergo non potest ex sua connaturalitate aliam perfectionem habere tam in essendo, quam in operando, quam quæ intra illos terminos et intra illud genus haberi potest aut postulari. Ergo cum sit facta, et communicans cum aliis creaturis, debet esse capax habendi aliquam perfectionem adjectivam, et non innatam et connaturalem sibi, præsertim a Deo, a quo creata est, et a quo semper amplius perfici potest perfectione aliqua sibi extrinseca et non naturaliter convenienti juxta doctrinam D. Thomæ I p. quæst. xxv, art. vi. Minor probatur, quia si intellectus quicumque possibilis quantumcumque perfectus et elevatus, est capax habendi perfectionem sibi extrinsecam et elevationem se, nec illi connaturalem, maxime debet esse perfectio illa, quæ sit participatio propriæ operationis Dei, et consortium cum ipso faciens et ei conjungens, quia ni-

hil altius respectu cujuscumque creaturæ in operando, quam operari modo divino, et consortium habendo cum Deo, in hoc enim maxime beatitudo et felicitas elucet, ergo respectu omnis creaturæ etiam possibilis semper debet se habere ut perfectio, ipsi extrinseca, et non connaturalis ei, qua Deus in se participatur et qua potest perficere creaturam trahendo ad consortium et similitudinem divinitatis suæ, hoc autem est lumen gloriæ, et quidquid hanc operationem attingentem Deum in se communicat, ut gratia, in quo licet sint diversi gradus et diversa intensio atque augmentum, non tamen pertinent ad idem genus seu speciem luminis gloriæ, et ita quilibet gradus etiam minimus, cum vere beatificet et communicet consortium divinæ naturæ et operationis, consequenter pertinebit ad perfectionem extrinsecam et elevativam creaturæ, non connaturalem.

XV. Et confirmatur atque urgetur amplius ista ratio, quia nulla substantia seu intellectus quantumcumque supernaturalis ita perfectius est, quod non possit habere alium supra se perfectiorem, qualibet enim creatura data potest Deus facere perfectiorem in infinitum, ergo nulla substantia vel intellectus dari potest etiam supernaturalis, qui non sit perfectibilis aliqua perfectione sibi communicata a superiori creatura, quæ utique sibi non erit connaturalis quia superior, et ab alio intellectu extrinseco communicata. Omnis enim intellectus per conjunctionem ad superiorem perfectibilis est, sicut apparet in Angelis inferioribus respectu superiorum, per illuminationem enim superiorum, inferiores Angeli perficiuntur, illuminatio autem superior non est connaturalis inferiori. Sic ergo etiam ille intellectus supernaturalis, illuminabilis esset ab aliqua creatura sibi supe-

riori, quæ posset produci, et talis illuminatio illi non esset connaturalis, sed extranea, ergo a fortiori perfectibilis esset a Deo illuminatione aliqua divina sibi non connaturali sed elevatori se, si quidem Deus semper manet superior et alterius ordinis a quocumque intellectu creato quantumvis perfecto, et ita si illa substantia supernaturalis, ab alia creatura sibi superiori esset illuminabilis, etiam a Deo: omnis autem illuminatio Dei ut supernaturalis et propria Dei erga videntem se vocatur lumen gloriæ, hoc enim est quod facit consortium divinæ naturæ, et sic est proprium Dei ut Deus est. Ergo hoc lumen necessario debet esse extrinsecum et non connaturale cuicumque creaturæ etiam supernaturali, alias non esset illuminabilis a Deo illuminatione superiori et excedente propriam connaturalitatem, quod est impossibile.

XVI. Dices: Data substantia supernaturali, non haberet aliam super se perfectiorem in specie sed in accidentali et individuali perfectione, et ita non posset intellectus ille supernaturalis perfici a superiori intellectu creato perfectione sibi non connaturali, sed ejusdem speciei, licet individualiter solum superior sit. Et instatur in lumine gloriæ accidentali quod modo habemus, hoc enim etiam diversos gradus habet, et tamen unum non perficit alterum speciei diversa. Quod si potest perficere, idem dicetur de illo intellectu seu substantia supernaturali. Respondetur quod quidquid sit, an possit dari substantia supernaturalis diversæ speciei, sicut etiam an possit dari diversæ visiones in specie, tamen certum est quod respectu illarum substantiarum Deus esset diversæ speciei, imo et generis, cum sit creator, illæ vero creaturæ. Ergo si supernaturalis substantia ab alia

perfectiori, esto ejusdem speciei, posset illuminari, multo magis a Deo, et consequenter illa illuminatio Dei esset diversæ rationis, et elevatior respectu illius substantiæ seu intellectus, et non connaturalis illi, quod est intentum. De lumine autem gloriæ quod modo datur, est longe diversa ratio, quia hoc lumen non est potentia ipsa elevabilis, vel illuminabilis a Deo, sicut intellectus supernaturalis si daretur, sed est illuminatio ipsa et elevatio Dei. Unde licet possit esse magis vel minus perfecta in ratione luminis et participationis divinæ sicut a perfectione majori intra latitudinem ejusdem speciei, non tamen una visio se habet ut illuminabilis vel elevabilis ab alia, ut ad perfectionem superiorem, sed potentia seu intellectus per eam elevabilis, et perfectibilis est.

XVII. Altera ratio, quam diximus supra insinuari a D. Thoma loco citato sic explicatur, quia omnis intellectus creatus quantumcumque perfectus debet habere pro objecto specificativo connaturali immaterialitatem illam, quæ est conformis et propria suo intellectui, ita quod specificativum proprium est ipsamet immaterialitas creata, in qua fundatur; sed lumen gloriæ habet pro specificativo connaturali, et immediato ipsum Deum in se, et non creatum intelligibile, ergo non potest esse connaturale alicui intellectui creato, sed adjectum et extrinsecum, et elevans intellectum creatum. Major constat, tum inductione, tum ratione; inductione, nam intellectus noster pro hoc statu, in quo est conjunctus corpori habet pro specificativo connaturali quidditatem sensibilem, id est, illud intelligibile quod per abstractionem a sensibilibus sit; in statu autem separationis respicit intelligibile separatum, quod est ipsa anima. Si-

militer quælibet species Angelorum habet pro specificativo connaturali suam propriam substantiam intelligibilem. Et ratio est quia intellectus dicit potentiam immaterialem, et non potest habere majorem immaterialitatem, quam substantia ipsa a qua oritur, et in qua radicitur, ergo etiam intelligibile sibi immediate proportionatum, et a quo immediate specificatur, debet esse ejusdem immaterialitatis, quia connaturale et immediatum objectum intelligibile debet proportionari, et correspondere immaterialitati intellectus. Ipsa autem substantia a qua oritur intellectus, cum sit immaterialis et spiritualis etiam est intelligibilis: ergo ipsa erit immediatum, et proportionatum intelligibile sui intellectus. Et sic videmus quod unusquisque intelligit alia a se juxta modum suæ naturæ, quia illa est suum connaturale intelligibile. Minor probatur, quia lumen gloriæ non specificatur nisi a Deo in se immediate, quia illud lumen elevat intellectum creatum, ut possit Deum in se ipso immediate videre non in effectibus, ergo proprium, et per se objectum ejus debet esse Deus in se immediate, non autem aliquis effectus Dei, si quidem ad hoc elevat intellectum per se et directe, ut videat Deum in se ipso immediate, ergo etiam specificativum illius luminis est Deus in se ipso immediate. Consequentia vero argumenti facti probatur, quia virtus connaturalis alicui potentiæ est ejusdem ordinis, et rationis cum illa, si quidem non est elevativa respectu ejus, sed connaturalis: ergo non potest habere altius, et elevatius specificativum, quam ipsa potentia, quæ est ejus radix, et cui connaturalis est, sed potentia, seu intellectus illius substantiæ supernaturalis, si daretur, non potest pro immediato specificativo ejus habere

Deum, sed ipsam creatam substantiam, cujus potentia est, si quidem in immaterialitate non potest esse altior quam ipsa substantia, quæ est radix ejus, ergo neque in intellectualitate: ergo illud lumen, quod habet pro immediato specificativo Deum in se, non potest esse connaturale alicui substantiæ creatæ, et habere eam pro radice.

XVIII. Dices: Ipsum lumen gloriæ est aliquid creatum, et tamen respicit Deum pro immediato specificativo: ergo non repugnabit, quod intellectus, qui est potentia illius substantiæ supernaturalis habeat Deum pro immediato specificativo, quia etiam est participatio Dei, licet mediante substantia supernaturali, cujus est potentia: ergo sicut non repugnat dari lumen, quod immediate descendat a Deo, et habeat ipsum pro specificativo, ita non repugnabit potentiam intellectivam oriri a substantia creata supernaturali, et tamen immediate specificari a Deo, quia etiam substantia ipsa supernaturalis ordinis est. Sed contra est, quia non facimus vim in eo solum, quod habeat Deum pro immediato specificativo tantum, sed in eo quod sit tale lumen connaturale alicui substantiæ creatæ, ita quod non detur illi per modum elevationis, et tamen habeat Deum pro immediato specificativo in se ipso, quod est altius specificativum, quam substantia ipsa creata, a qua oriretur illud lumen. Nunc autem lumen gloriæ, quod nobis datur, non est connaturale nobis, sed datur per modum elevationis ad uniendum Deum in se, tamquam participatio quædam intellectus divini. Unde jam supponit aliquem intellectum immediate specificativum a Deo, scilicet ipsum intellectum divinum, et ab illo derivatur tamquam quædam participatio ejus, supposito autem intellectu jam specificato ab

aliquo objecto non repugnat dari aliquod lumen derivatum ab ipso ad intellectum inferiorem per modum participationis accidentalis, et elevationis, eo quod non habet pro radice, et principio connaturali intellectum inferiorem, cui datur (si quidem datur ad elevandum illum, et consequenter tamquam ab extrinseco adveniens) sed intellectum a quo derivatur, sicut illuminatio superioris Angeli communicatur inferiori, et virtus cœlestis corpori elementali, non tamen habent pro radice, et principio subjectum inferius cui dantur, sed principium illud a quo derivantur. Quare non repugnat, quod lumen datum per modum virtutis elevativæ, et ab aliquo superiori participatæ habeat pro objecto specificativo (licet inferiori modo) illudmet objectum, quod habet intellectus a quo derivatur, et cuius participatio est. Repugnat autem quod intellectus aliquis, seu lumen sit connaturale, et proprium alicui substantiæ creatæ, et tamen habeat pro specificativo immediato aliquid altius, et eminentius, et majoris immaterialitatis, quam ipsa substantia a qua oritur, scilicet ipsum Deum immediate in se, qui sine dubio esset altioris immaterialitatis, quam substantia creata, etiamsi supernaturalis esset. Quod vero dicitur, illum intellectum participari a Deo mediante substantia supernaturali, et sic mediante ipsa a Deo specificari, ita quod immediate respiciat substantiam supernaturalem, et mediate Deum, non est ad rem, quia vel talis intellectus, qui respicit Deum mediate se habet tamquam virtus elevativa creaturæ ad modum intelligendi divinum, vel tamquam connaturale ipsi creatæ substantiæ. Primum est contra suppositionem factam, quia ille intellectus est proprius, et connaturalis tali substantiæ, nec sup-

ponit alium priorem, respectu cuius sit virtus elevativa. Secundum autem repugnat, quia non potest ille intellectus specificari a Deo mediante substantia supernaturali creatæ, nisi quia prius respicit, et tendit ad substantiam creatam: et mediante ipsa attingit Deum; ergo non attingit Deum in se immediate, sed ut contentum in aliquo effectu, scilicet in illa substantia supernaturali et consequenter non videt Deum in se ipso, sed in effectu suo, sicut qui modo cognosceret Deum ut contentum in gratia, vel in aliquo alio effectu supernaturali, non videret Deum intuitive in se, sicut per scientiam infusam cognoscit anima Christi Trinitatis mysterium videndo actum visionis beatæ. Et cum quilibet effectus distet a Deo in infinitum non potest hoc modo perfici visio Dei in se. Nunc autem lumen gloriæ datur ad videndum Deum in se ipso immediate, et non in aliquo effectu: ergo non potest esse connaturale alicui intellectui, vel substantiæ, quæ solum respicit Deum ut contentum in aliquo effectu, verbi gratia in substantia supernaturali.

XIX. Ultima implicatio supra allata ex D. Thoma currit specialiter de ipsa gratia ad probandum, quod non sit substantia, quia videlicet gratia est quædam participatio divina, qua ita sumus consortes divinæ naturæ, ut in nobis simus accidentaliter id quod Deus est in se substantialiter. Si ergo gratia esset substantia, esset Deus. Quæ consequentia consistit in eadem vi, qua consequentiæ hucusque factæ, quia quod est substantialiter tale, debet esse per se, et connaturaliter essentialitertale, non autem accidentaliter, et participative. Id autem quod est proprium, et per se naturæ superioris implicat, quod sit proprium, et connaturale naturæ inferioris manente

natura inferiori in ratione inferioris, sicut manet substantia creata etiam supernaturalis respectu divinæ, sed solum potest ei convenire ex aliqua participatione superioris, non propria, et connaturali ipsi inferiori, sed accidentali, ergo non potest gratiæ esse ipsa substantia alicujus rei creatæ, quia gratia essentialiter et intrinsece est quædam participatio increatæ naturæ, seu id quo reddimur consortes divinæ naturæ, omnis autem substantia creata est inferior ad divinam naturam quantumcumque illa substantia sit supernaturalis: ergo si ipsa gratia esset substantia, esset propria, et connaturalis rei creatæ, si quidem esset ipsa substantia ejus, et primum subjectum non præsupponens aliud prius, respectu cuius accidentaliter participatio sit, et ex alia parte ipsa gratia est participatio in propria et particularis naturæ superioris, id est, divinæ ut divina est, et ut superior ad creatam, ergo esset propria, et intrinseca rei inferioris, et non propria, sed accidentaliter, cum esset propria rei superioris, ut superior est.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Primo arguitur, quia non repugnat dari aliquam formam supernaturalem, quæ sit connaturalis alteri accidenti supernaturali, ergo neque repugnat, quod sit connaturalis alicui substantiæ. Antecedens constat, quia gratiæ est connaturalis charitas, et reliquæ virtutes, et lumini gloriæ est connaturalis visio beata, et unioni hypostaticæ est connaturalis ipsi gratia, ita quod hæc jure debentur, ergo, etc. Consequentia vero patet, quia si Deus potest facere aliquid accidens, cui sit connaturalis aliqua forma supernaturalis, et illud acci-

dens est finitum, et limitatum non repugnat facere substantiam supernaturalem creatam, cui similis forma connaturalis sit. Si dicas implicare quod illud accidens sit supernaturale et sit connaturale alicui naturæ, scilicet alicui substantiæ creatæ, quia quod est natura, substantia esse debet; repugnat autem quod sit aliquid supernaturale, et non sit super omnem naturam, id est, super omnem substantiam creatam, et consequenter nulli naturæ creatæ connaturale, sicut repugnat fieri aliquid corpus spirituale cum spiritus essentialiter sit supra omne corpus. Contra est, tum quia bene stat illa accidentia supernaturalia esse debita connaturaliter illi naturæ seu substantiæ, quæ esset sui ordinis, licet sint supernaturalia, et indebita aliis naturis, seu substantiis ordinis naturalis, sicut accidentia spiritualia sunt proportionata, et connaturalia spirituali substantiæ, superiora vero, et improportionata omni corporeæ substantiæ quasi supercorporea, ergo connaturalitas ad substantiam supernaturalem non obstat supernaturalitati simpliciter. Tum etiam quia non requiritur ad supernaturalitatem, quod sit super omnem naturam, sed sufficit quod sit super omnem naturam ordinis naturalis. Unde in hoc magna æquivocatio intercedit in illo vocabulo natura, potest enim sumi vel pro principio motus, et quietis in rebus naturalibus, et sic non pertinet ad istam quæestionem, constat enim quod formæ supernaturales non solum sunt supra naturam entis mobilis, sed super omnem naturam spiritualem. Vel sumitur natura pro substantia creata, vel creabili, et sic illa substantia supernaturalis esset aliqua natura, sed non ordinis naturalis, sed supernaturalis, non enim requiritur ut aliquid sit su-